



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

97. An Episcopi, vbi non est Inquisitio Hispaniae possint separatim ab Inquisitoribus proferre sententiam contra Confessarios sollicitantes, & è contra, etiam si sola abiuratio eis adiungatur? Sed quid ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

Ex Edicto DD. Inquisit. & c. Ref. XCVII. & c. 417

conferatur concessa cumulative, non autem privative, docet Sylvester *ver. hæreticus*, §. 2. *num. 10.* Rojas *singul.* 28. *num. 2.* Gundisalvus de *hæret. quest.* 7. *num. 9.* Simanca de *Carbol. instit. tit.* 25. *num. 4.* Glossa & Panormitanus in *cap. ad abolendam*, de *hæret.* Sigismundus Scaccia de *judiciis tom. 1. lib. 1. cap. 67. num. 9.* Carera de *hæret. num. 67.* Decianus *tom. 2. lib. 5. cap. 21. num. 10.* & alij, ergo sequitur necessarium, quod Episcopi possint separatim ab Inquisitoribus contra Confessarios sollicitantes, tanquam suspectos de fide procedere, quia, ut dictum est, Episcopi de jure communi procedunt contra hæreticos, vel suspectos, docetque Simanca *tit. 6. num. 3.* & habetur in *cap. presidentes*, *cap. statutum*, *cap. ut Inquisitionis*, de *hæret. in 6. cap. ad abolendam*, *cap. excommunicamus*, de *hæret. Clem. 1. eodem titulo*, & *Extrav. 1. eodem tit.* Unde dati sunt Episcopis Inquisitores tanquam adjuutores.

4. Sed his non obstantibus, contrariam sententiam tenendam esse puto; pro cuius confirmatione suppono tanquam certum in regnis Hispaniarum, in quibus Hispanica Inquisitio adest ex consuetudine, & privilegio Pontificio, non posse Episcopos separatim ab Inquisitoribus causas de rebus fidei cognoscere, & denunciations sibi factas tenere ad ipsos Inquisitores remittere, neque reum posse incarcerare, nisi timeatur de fuga, sed certiorare Inquisitores, ut illum capiant & ita de dicta consuetudine, & privilegio testatur Sanctarellus *tract. de hæresi*, Romæ impressus, *cap. 40. dub. 2. num. 15.* Molina de *just. tom. 5. tract. 5. disp. 28. num. 12. & 13.* Acugna de *Confes. sollicit.* *quasi. 2. num. 1.* Ioann. Valerius in *differentiis utriusque fori*, Pegna in *direct. par. 3. quasi. 52. comment. 101.* & novissime Barbosa in *collectan. tom. 3. lib. 5. tit. 2. cap. 17. num. 3.* & alij.

5. Hoc igitur supposito sic argumentor in favorem DD. Inquisitorum Constitutio Gregorij XV. ut patet ex contextu literæ, præbet authoritatem Episcopis, ut possint separatim in nostro casu inquirere, prout in causis fidei juxta sacrorum Canonum formam, & c. Sed in omnibus causis fidei ex privilegio & consuetudine Inquisitionis Hispanicæ, ut *supra* probatum est, Episcopi non possunt separatim sine Inquisitoribus inquirere; ergo neque posse separatim in casu sollicitationis sine Inquisitoribus inquirere dicendum erit: quia in dicta constitutione, ut patet, non revocantur consuetudines & privilegia Sedis Apostolicæ in contrarium, si alibi adessent, ut adfuit in Inquisitione Hispanica, & ideo sicut Fagundes in 2. editione de *precept. Eccles. pr. 2. lib. 4. cap. 3. num. 97.* & Antonius Soula in *annotat. ad Bullam Gregorij XV. num. 21.* asserunt, quod per dictam Bullam non revocatur privilegium concessum Generali Inquisitori Lusitanicæ advocandi ad se omnem causam hæresis, etiam si coram Ordinariis tractentur: unde non obstante Bulla Gregor. XV. docent hodie posse Inquisitores Generales Lusitanicæ ad se advocare omnes processus & integras causas Confessariorum sollicitantium inceptas coram Episcopis. Sic etiam dicendum est, per dictam Bullam non revocari privilegium concessum Inquisitioni Hispanicæ, ut Episcopi non possint separatim ab Inquisitoribus causas fidei, ut est ista, de qua loquimur, pertractare.

6. Secus autem dicendum est de aliis Regnis & inquisitionibus ubi talis consuetudo & privilegium Papæ non adest, nam ibi ex hac constitutione Pontificia posse Episcopos contra Confessarios sollicitantes separatim ab Inquisitoribus inquirere, concedo.

7. Ex quibus patet responsio ad argumentum primum superius adductum; dico enim intelligendum esse de omnibus Regnis, in quibus Inquisitores non habent privilegium, ut Episcopi non possint separatim ab illis procedere. Ad secundum verò respondeo

illam doctrinam esse veram, loquendo in terminis juris communis, secus autem ex consuetudine & privilegio Apostolico, ut adest in Inquisitione Hispanica, ex rationibus quas optimè observat Ludovicus Molina de *just. tract. 5. disp. 28. n. 13.* ex quibus apparet, quam utiliter & rationabiliter prædicta consuetudo fuerit introducta, & privilegium concessa.

8. Notandum est tamen hic obiter quod etiam in Regnis ubi non adest Inquisitio Hispanica, si Confessarios sollicitans & femina sollicitata eodem tempore ab Episcopo & Inquisitore citentur, coram Inquisitore comparere debet, non autem coram Episcopo. Et ita contra Rojas *singul. 44. num. 3. & seq.* docet Soula *opusc. de Confes. sollicit. tract. 2. cap. 2. n. 7.* & alij penes ipsum, quia jurisdictio Inquisitorum cum sit delegata à Summo Pontifice superior est, & major jurisdictione ordinaria; si autem Confessarius esset Regularis exemptus, posset in tali casu coram Episcopo comparere, quia Episcopus contra illum procedit ex jurisdictione delegata. Sed in Regnis nostris Hispaniarum etiam hoc ultimum non procedit, quia, ut dictum est, ex consuetudine, & privilegio causæ fidei ab Inquisitoribus tantum tractantur, cum quibus assistunt Episcopi per procuratores.

RESOL. XCVII.

An Episcopi, ubi non adest Inquisitio Hispanica, possint separatim ab Inquisitoribus proferre sententiam contra Confessarios sollicitantes, & e contra, etiam si sola abjuratio eis adjungatur?

Sed quid dicendum est de sententia absolutoria, an possit dari ab Episcopo sine Inquisitoribus? Ex p. 4. tract. 5. Ref. 53.

§. 1. A dvertit Soula post *opusc. de Confes. sollicit.* in *Sup. hoc inf. annot. ad Bullam Greg. XV. num. 20.* quod licet ex dicta constitutione Inquisitores & Episcopi possint procedere, non tamen per illam conceditur, ut sententiam separatim proferant, etiam si sola abjuratio eis injungatur; sed quoad hoc jura, & constitutiones Pontificiæ servandæ sunt. Nec etiam per dictam Bullam tollitur communicatio processuum secundum jus Canonicum. Ita Soula. Igitur dicendum est, quod nec soli Episcopi, nec soli Inquisitores possunt sententiam condemnatoriam proferre adversus Confessarios sollicitantes, ut patet, ex *cap. per hoc, de hæret. in 6.* & ita tenet Pegna in *direct. par. 3. comment. 97.* Lucerna Inquisitor. *ver. absolvere, num. 2.* Antonius Soula *opusc. de Confes. sollicit. tract. 2. cap. 1. n. 15.* & Fagundes de *precept. Eccles. in 2. editione pr. 2. lib. 4. cap. 3. n. 96.* Azorius *par. 1. lib. 8. cap. 18. quasi. 16.* Patams de *origine Inquisitionis lib. 3. quasi. 4. n. 2.* Molina de *just. tract. 5. disp. 28. n. 16.* & alij penes ipsos. Ratio est, quia per abjuratorem abjurans pronuntiatur hæreticus, vel de hæresi suspectus: ergo per hoc verè & propriè condemnatur, si tamen sententiam abjuratorem Episcopi absque Inquisitoribus contra Confessarios sollicitantes ferant, allerunt citati Doctores factum tenere, & ideo, ait Pegna, hæc esse de genere eorum, quæ licet fieri prohibeantur, facta tamen tenent; licet Castrus Palaus *tom. 1. tract. 4. disp. 8. punct. 13. num. 18.* contrarium doceat, ex *Clement. 1. de hæret.* ubi postquam Pontifex dixerat non posse Inquisitorem absque Ordinario, vel e contra, ad sententiam contra reos procedere, concludit, non valebit, & si secus præsumptum fuerit, irritum sit & inane.

2. Sed quid dicendum de sententia absolutoria, an possit dari ab Episcopis sine Inquisitoribus? Affirmative responderet Fagundes loco citato, *num. 93.* & Soula *num. 12.* Molina *num. 15.* & alij penes ipsos; quia in jure

jure solum prohibetur supradictis proferre sententiam contra eos, ut patet ex *ex dicta Clem. 1.* ergo poterunt proferre pro reis.

3. Verum negatiyam sententiam docet Pegna in *director. inquis. part. 3. comment. 97. Rojas singul. 27. num. 7. Simanch. in instit. Cathol. tit. 3. num. 8. Azorius, Carerius, Zanchinus, & alij, quos citat Barboz. in dicta Clem. 1. num. 8.* quibus addo ex neotericis Castrum Palaeum ubi *supra, num. 20.* & ratio est, quia licet textus illius Clementinae de sola sententia condemnatoria expresse loquatur, indirecè tamen loquitur de qualibet sententia ob communicationem processuum praequisitam. Deinde confirmatur hæc opinio; quia eo ipso quod in *Clement. 1.* sit restrictum jus antiquum quoad condemnationem, ita ut Inquisitores & Episcopi non possint separatim condemnare, sequitur quod similiter non possint absolvere. Probatur consequentia, quia condemnare & absolvere eiusdem sunt potestatis, ut puta contraria & adversa ex *l. qui condemnare, ff. de re iudicata. ergo, &c.*

RESOL. XCVIII.

An Inquisitores possint animadvertere in sollicitationem præteritam, si jam præjudicata fuerit ab Episcopo? Et an Confessarius sollicitans, qui non iudicatur suspectus, non ideo ad suum Ordinarium sit remittendus, sed ab Inquisitoribus ratione culpæ puniri debeat? Ex p. 4. tr. 5. § 4.

Sup. hoc inf. in tr. 12. ref. 7. §. pen. & hic lege doctrin. præcedentis Ref. §. 1. Negativè respondet Acugna *tr. de Confessarij sollicitant. quest. 3. num. 11.* ubi sic ait. Tunc non extenditur ad præterita nostra conclusio, cum talia crimina ab ordinario iudice præjudicata fuerint; nam manent tunc extincta in foro Ecclesiæ vel enim reus judicialiter absolutus est, ob id listet accusatio, non ultra progrediens, ex *cap. de his, accus. Vel damnatus idem reus per diffinitivam sententiam est, atque similiter in ipsum accusatio progredi non potest. Ita ille.*

2. Sed adversus illum insurgit Emmanuel Moura *opuscul. 1. de ens. & incant. sect. 3. cap. 3. num. 16.* ubi ita asserit. Non loquitur Acugna consequenter, quatenus dicti in sollicitationem præteritam non posse ire Inquisitores, cum præjudicata fuerit ab Episcopo, siue absolutus, siue finaliter condemnatus fuerit sollicitans, quamvis non fuerit sufficienter punitus. Nam, inducit suspensionem de hæresi, & constitutio Pontificis est solum excusativa jurisdictionis Inquisitorum, consequens necessarium est, ut ipsi possint illud reassumere, saltem ut reum cogant ad abjurationem. Hæc ille.

3. Verum sententiam Illustrissimi, & Doctissimi Roderici Acugna, merito hunc Archiepiscopi Bracharenensis, acriter defendit Freytas in *additionibus novissimis ad dictam qu. 3. n. 37. & seq.* ubi respondet ad rationes Emanuel. de Moura, vide illum & non pigebit.

Sup. hoc inf. ref. 1. not. præterita in ejus §. ult. 4. Non desinam etiã hic obiter adnotare Confessarij sollicitantem, qui non iudicatur suspectus non esse ad suum Ordinarium remittendum, sed ab Inquisitoribus ratione culpæ puniri debet; nec valet dicere, quod cessante suspitione contra fidem, videtur suspendi Inquisitorum jurisdictionis; nam respondeo, quod licet ratio commissionis sit suspicio, commissio tamen Pontificis est absoluta, & Summ. Pontifex ex illo facto præsumit, & super præsumpto statuit, & ita docet Sousa *opuscul. de Confessarij sollicitant. c. 1. n. 7.* & idem Molles *in sum. 10. 1. tr. 7. c. 2. 4. n. 45.* sic ait: Si Confessarij sollicitantes non sint suspecti de hæresi, imponitur eis penitentia secularis sine abjuratione secundum qualitatem excessus. Ita ille.

RESOL. XCIX.

An quis legere, & retinere Adonem Marini, esset S. Officio denunciandus? Et an absque facultate retinens, & legens librum hæreticum possit illum comburere, & minime Inquisitori tradere? Ex p. 10. tr. 12. & Misc. 2. Ref. 49. alias 48.

§. 1. Negativè videtur respondendum, per ea quæ docet Carena in *Praxi sancti Officii, par. 2. tit. 10. §. 10. n. 60.* ubi sic ait: An retinens huiusmodi libros prohibitos ob res lascivas, sicut denunciandi S. Officio, in quo (salva semper declaratione S. Matris Ecclesiæ & sacre Congregationis Eminen. Cardinal. sup. Inquisitorum) dicerem quod non, nisi huiusmodi retentores alias essent de hæresi suspecti; verba enim Edicti Eminentiissimi Domini Cardinalis Episcopi nostri, & Reverendissimi Patris Inquisitoris, nullo modo comprehendunt huiusmodi libros, & alias ex dispositione juris communis nulla apparet obligatio huiusce denunciationis. Ita Carena, quæ secundum ejus mentem dicta esse volo.

2. Sed si aliquis hic incidenter quærat, num quis absque facultate retinens, & legens librum Hæreticum, possit illum comburere, & minime Inquisitori tradere. Ad hoc dubium sic respondet Pueronius in *Comment. ad Bullam Canes, cap. 1. n. 108.* Dicendum existimo, excusari eum, non solum qui bona fide à seipso combureat, sed etiam metu pœnæ; aut quia ipse librum composuerit; aut quia sine facultate legerit, vel retinuerit, à seipso combureret. Nam alias, & finis legis haberetur, quod scilicet liber supprimatur; & ad simplicem actum obedientiæ, non videtur cum tanto suo discrimine iste obligandus. Et hæc Constitutiones Pontificum non obsunt cum loquantur de illis, qui ex licentia quas revocant, libros habebant, aut legebant, ut est animadvertere: Exinde asserendum nullam Censuram revera contrahi ex eo, quod quis quacumque ex causa à seipso incendat; & quidem quoad Censuram Bullæ præsentis expresse tenent Suarez *de fide, diffinitione 20. sect. 2. m. 29. Sanchez ad præcept. Decal. lib. 2. c. 10. n. 56. Sousa Relict. Bull. Cane disp. 13. concl. 3. Dardus lib. 2. Comment. in Bulla Cane, cap. 1. quest. 52. n. 34. Bonacina tom. 3. disp. 1. q. 1. punct. 4. n. 18. Scotus Theorem. 106. col. 13. in initio, eo quia, cum satis sit iuxta tenorem illius non retinere, nec aliud requiratur, abiciens à se combustionem, non retinet. Sed nec obstant Iulij, aut Pauli Constitutiones; nam pœnæ in contra facientes ex Bulla Iulij, non sunt referendæ nisi ad illos, qui post revocationem licentiæ retinuerint; seu in eos, qui recusant deferre Inquisitoribus, ita tamen ut sibi retineant; hi enim censentur contraire intentioni legis, quæ est ne prætextu licentiarum libri legantur; & eorum exterminationi obvietur. Quod verò ad Constitutionem Pauli IV. absolutio veretur impendi ei, qui habens librum ad Inquisitores non deferat; porro si non habeat quacumque ex causa, non potest deferri, & per consequens dispositio Constitutionis tunc locum non habet. Huculque Pæconus. Sed ego non video quare legens hæreticum librum absque facultate, possit illum comburere, & non potius Confessario præbere, ut illum deferat Inquisitoribus & sic observabit Constitutiones Pontificum absque periculo, & discrimine.*

In indice primo hujus tom. 5. vide Apendicem ad hunc tract. 9. ubi reperies alias paucas difficultates mistas, & dispersas per alios tom. tract. & Res. quæ simul pertinent ad hunc tract. 9. de Denunciationibus, &c.

TRACTA